

42

V.

De concupiscentia carnis et spiritus.

iii Tripertitae nobis a maioribus ratio super hac quam dicitis sterelitate mentis est tradita, aut enim de neglegentia nostra, aut de inpugnatione diabuli, aut de dispensatione domini ac probatione discendit; et de neglegentia quidem cum uitio nostro tempore precedente in circumspecte nosmet ipsos et remissius exhibentes et per ignauiam desidiam noxiis cogitationibus partiterram cordis nostri spinas et tribulos facimus germinare. quibus in ea pullulantibus consequenter efficitur sterelis. adque omni spiritali fructu et contemplatione diuina nudata. de inpugnatione uero diabuli. cum etiam bonis nonnumquam studiis dediti. callida subtilitate mentem nostram aduersario penetrante uel ignorantes ab optimis intentionibus abstrahimur uel inuiti.

iiii Dispensationis autem uel probationis duplex causa est. prima ut paulis per a domino derelicti et mentis nostrae infirmitatem humiliter intuentes. super precedente puritate cordis quae nobis est illius uisitatione donata nullatenus extollamur. probantesque nos ab eodem derelictos. gemitibus nostris et industria illum laetitiae ac puritatis statum recuperare non posse intellegamus. et preteritam cordis alacritatem. non nostro studio sed illius nobis dignatione conlatam et presentem. de ipsius rursum gratia et inluminatione esse poscendam; Secunda uero probationis est causa ut perseuerantia nostra uel mentis constantia et desiderium conprobetur. et qua intentione cordis uel orationum instantia. deserentem nos uisitationem sancti spiritus requiramus manifestetur in nobis. ac pariter agnoscentes quanto labore amissum istud spiritale gaudium et puritatis laetitia conquiratur. sollicitius inuentum custodire. ac tenere ad tentius studeamus; quodammodo enim neglegentius custodiri solet quidquid creditur facile posse reparari.

v Perque euidenter probatur gratiam dei ac misericordiam ipsius semper operari in nobis ea quae bona sunt. qua deserente nihil ualere studium laborantis. et quantalibet animi nitentis industria. Sine ipsius iterum adiutorio statum pristinum recuperare non posse. Illud quem nobis iugiter adimpleri. non uolentis neque currentis. sed miserantis est dei: quae gratia nonnumquam e contrario neglegentes ac resolutos inspiratione hac qua dicitis sancta. et habundantia spiritalium cogitationum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
UNIVERSITÄT BASEL
UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
PUBLIC DOMAIN
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/ubb_bv13/0087